



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **De Collegiis Canonicorum Per Germaniam, Belgivm, Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasque Orbis Christiani Prouincias, Liber Singvlaris**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

Capvt LXI. S. Dionysii Collegivm in Vrbe Leodiensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11227**

fraude sed industria Pontificis compescitur, ædificium Ecclesiæ cum clauſtro, & congruis pro loco, officinis consummatur, eademque in honorẽ sanctæ Crucis dedicata agris & decimis donatur, vnde XV. fratribus victus & vestitus solatia præberentur. *Ita Anselmus lib. 2. de gestis Episcoporum Leodiensium c. 26.*

Itaque Notgerus siue Notkerus Leodiensis Episcopus collegij istius auctor exstitit: qui templum ipsum S. Crucis per dictum Robertum Præpositum ædificari curauit, & anno 979. die 23. Octobris consecrauit: teste Aegidio Bucherio in Chronico.

Numerum Canonorum postea auxit VVazo Leodiensis Episcopus; teste eodem Anselmo: *Vidimus, inquit, XV. præbendas ab eo in vno die datas, quarum quindecim deseruitores in Ecclesia victoriosissimæ Crucis, decem in Bartholomæi Apostoli Ecclesia, ex bonis maiori ex parte à sese acquisitis, constituit, nihil ab eis quærens nisi probos mores, & utilitatem diuinæ seruitutis.* Lib. 2. c. 67.

## CAPVT LXI.

## S. DIONYSII COLLEGIVM

*in Vrbe Leodiensi.*

**N**ithardo maioris Ecclesiæ custode administrante, Notgerus Episcopus in honorem B. Martyris Dionysij condidit Ecclesiam, in qua primū quidem viginti delegati sunt Canonici: procedente

H

verò

vero tempore decem additis, in tricenarium profecerunt numerum, Ita Gesta Notgeri ab Ortelio edita tradunt.

Aegidius Bucherius in Chronico, refert istud S. Dionysij templum anno 987. Kalendis Maij à Notgero dedicatum fuisse.

Factus est autem Notgerus Leodiensis Episcopus anno 971. & obiit anno 1007. die Iouis in cœna Domini IV. Idus Aprilis.

## CAPVT LXII.

S. FOILLANI FOSSENSE COLLEGIUM in Comitatu Namurcensi.

**F**ossense monasterium opibus S. Gertrudis Virginis Niuellensis à S. Foillano constructum fuisse ex Sigeberti Chronico ad an. 648. constat. Quo quidẽ à Normãnis vastato, vt arbitror, eo ipso in loco Notgerus Leodiensis Episc. Canonicoꝝ cœtum instituit. Quade re in Historia vitæ eius ab Ortelio in Itinerario Belgico edita sic legas; *Notgerus Fossensem Ecclesiam condidit, ac muro & turribus circumductis communiuit.*

## CAPVT LXIII.

MOSPURGENSE OLIM MONASTERIUM, nunc Canonicoꝝ collegium in d. Frisingensi.

**A**rnoldus Imperator monasterium & Abbatiam Mosburg anno 895. dedit ac subiecit